

fidelibus et specialibus suis amicis sinceri affectus omnimodam benivolenciam et salutem.

Discrecionis et circumspeccionis vestre prudencie innotescat, quod nuper per mortem dive recordacionis quondam domini H(einrici) Romanorum imperatoris vacante heu Romano imperio, post multos tractatus de substituendo sibi ydoneo successore apud eos quorum interest habitos, tandem dies ad eligendum regem futurum exstitit concorditer nominata, statuta et in Franckenfurt assignata. Ad quem locum convenientibus die predicta electoribus principibus, qui voluerunt et potuerunt comode interesse, nos . . duces predicti nostro ac reverendi in Christo patris domini H(einrici) Coloniensis archiepiscopi ex rationabili et manifesta causa absentis ac nobis comiti palatino predicto vices suas in hac parte committentis nomine et inclitus dominus H(einricus) Bohemie et Polonie rex, dux Carinthie, considerantes et discreti animi iudicio attendentes christiane fidei religionem, erga sedem apostolicam devotionem, generis claritatem, animi virtutem et constanciam amicorum et armorum potenciam, diviciarum preeminenciam et alias bonas condiciones tanto regimini convenientes, que in illustri principe domino Frid(eric) duce Austrie excellenter plus quam in aliis principibus et baronibus¹ ad eiusdem regiminis apicem aspirantibus concurrebant, in eundem Frid(ericum) divina inspirante gracia direximus vota nostra et eum die ut predictum est peremptorie statuta in loco predicto elegimus in regem et principem Romanorum, reverendis in Christo patribus dominis P(etro) Moguntino et Bald(ewino) Treverensi archiepiscopis ac illustribus dominis Wold(emaro) marchione Brandenburgensi et Iohanne comite Lutzelburgensi, qui regnum Bohemie detinet, illustrem Lud(owicum) ducem Bawarie non in die ut predictum est statuta, sed proxima subsequenti, nec in loco, de quo condictum fuerat, sed extra eligentibus ex adverso. Dictus igitur dominus Frid(ericus) noster electus iuri sibi per nostram eleccionem quesito insistens pro coronacione sibi debita, sicut moris est, versus civitatem Aquensem perrexerit. Et cum ipsi propter rebellionem et iniquam contradiccionem burgensium eiusdem civitatis introitus non pateret, extra dictum locum per reverendum in Christo patrem dominum H(einricum) Coloniensem

1) Bewerber aus nicht reichsfürstlichem Geschlecht, wie z. B. Graf Wilhelm von Holland, der Graf Ludwig von Nevers (vgl. J. Priesack, Die Reichspolitik Balduins von Trier S. 13) und, wie wir nun aus unserer Urkunde n. XXVII wissen, auch Graf Berthold von Henneberg.